N. 410.

# CURRENDA I.

## A. D. 1858.

### N. 306.

**Collectio pro reaedificanda ecclesia in Böhmisch Leippa commendatur.**

In fundamento a. Indorsati C. R. Provincialis Regiminis Cracov. de 18. Jan. a. c. N. 36635|57. Ven. Clerus hisce provocatur, quatenus collectionem altissime concessam et Incl. C. R. Officiis Circularibus in sequelam alti Ministerii pro internis de 17. Nov. 1857. N. 10571 pro reædificanda ecclesia in Boehmisch Leippa combusta commendatam quoq. inter populum fidelem instituere, horsumq. resultatum mediante resp. Offo Dec. promovere haud tardet.

E Consist. Eppali. Tarnoviae 29. Januar. 1858.

### N. 409.

**De jejunio quadragesimali obligationeq. V. Cleri durante hocce.**

Rursus isthoc tempus *acceptabile et tempus salutis* appropinguat, quo cuncti sanctæ Romanæ Ecclesiae asseclæ mundum, non corpore quidem, ast mente, 40. dies deseramus, confugiamusq. exemplo Magistri ac Salvatoris Nostri in desertum, ubi jam meditationibus, jam precibus, jejuniis ac pugnis cum multiplicibus animæ hostibus præparemus nos ad *baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum*, utq. ingressi in Jordan flumen ablutiq. undis lacrymarum nec non sanguinis Agni immaculati si non de coelis, saltem de conscientiæ emundatæ rostris mereamur percipere dulcissimam vocem: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* ac demum pascha solennissime refecti celebrare postmodum jugiter pascha . . . sine *fermento veteri, fermento malitiae et nequitiae.*

Ecce! 40. dies ac noctes nobis constituti sunt pro reparatione salutis . . et nobis ad sortem muneris sacerdotalis a Xto vocatis enitendum est, hos dies non solum ad reparandam salutem nostram, sed illorum quoq. qui nobis desuper commissi sunt, insumere expugnareve regnum tenebrarum, propulsare hostes ex hæreditate filiorum Dei, constituere ad limites vigilias, imo arces et castella.

Principes regnorum quantas dimicantium convocant copias; quantas armaturas congerunt, quanta propugnacula, fortalitiaq. exstruunt, ut hostes deterreant, aut de limitibus depellant! Nos Dilecti in Xto Fratres! a Christo Jesu pro Ejus fidelibus belliduces constituti novimus sane, quot cohortum millia nobis tradita sunt, quae ad pugnam præparemus, armis ac stipendiis provideamus, quinimo in aciem ducamus, ad victoriam perducamus, demum pace et

insigniis exornemus. Causa periculi plena, res timoris ac tremoris. Eheu! Angeli custodiunt nos, coelites auxiliantur, de victoria gratulantur ac lætantur summopere ... paratissimi nobis victoribus coronam vitæ æternæ exorare atq. cervicibus imponere, imo ipsissimus Salvator noster adest nobiscum *usq. ad consummationem sæculi.*

Perpendite igitur Dilectissimi Fratres! tantam muneris sublimitatem, tantam colluctationem, virium intensionem ac extensionem, tantam deniq. et Vobis atq. vestris victoriam ac gloriam! Arripite ergo *arma justitiae*, quibus justitia seu omnimoda virtus expugnetur; arripite arma, quae Vobis S. Mater Esia tradidit: arma precum, suspiriorum, laborum, jejunii atq. eleemosynae. Breviarium ac Missale de feriis pro hocce temporis passu Vobis thesaurum suffragiorum supeditat, varia laborum genera, necessitatem jejunii, mortificationis et eleemosynae indigitat.

Induamini 1o *arma lucis* Rom. XIII. 12. *gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Eph. VI. 17. et quidem a) Jam in ipso sacrati hujus temporis exordio, die Cinerum, quo fidelem populum cineribus benedictis tum jejunio tum mortificationi mancipatis ac illud acerbum Memento mori in memoriam revocatis, de saluberrimo jejunii corporalis et spiritualis instituto, quoad ejus qualitatem et quantitatem, de qua posteriore non exigua plerumq. deprehenditur ignorantia, adæquate instruite, ne sacra respublica ob defectum debitæ informationis quidquam detrimenti capiens, fructibus jejunio stricto appromissis, in exitium suum, quod in Rectores ipsos redundaret, privetur; sed ut potius div. Numine sospite *corporali jejunio vitia* gulæ, ebrietatis, aviditatis, concupiscentiæ, pigritiæ... comprimat; *mentem* a terrenis ad cœlestia *elevet*, *virtutem* omnis generis atq. *præmia* mereatur, deletis per jejunium et mortificationem pœnis ab multiplices culpas temporalibus. Quodsi quispiam Vos animarum Rectores pro gratia dispensationis a jejunio quoad *qualitatem* certis diebus adiret, causas ab eo prolatas trutinate condigne et si eas sufficientes agnoveritis, Nomine Nostro dispensationem largiamini quidem, verum alia pia opera in legis relaxatæ recompensam, pauperibus preces, ast opulentis præterea eleemosynam, aliquam substantiæ partem pro re ecclesiæ, alia mortificationis genera assignate. Curabunt, ut in pagis servetur antiqua severioris jejunii consuetudo pia; nec non majori hebdomade omnis dispensationis gratia jam vaccet. Plura de jejunio elogia præceptaq. relegere haud tædeat in Notificationibus abhinc anterioribus annis emissis, præprimis in *Encyclia polon. de* 1. Feb. 1849. N. 53.

Quoniam juxta illud tritum: *Verba* tantum *movent*, sed *exempla trahunt*, nulli dubitamus, quin prædicatores jejunii ipsimet exemplo custigationis sui præluceant, memores testimonii div. Pauli: *Ego igitur sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* 1. Cor. IX. 27. Non in vanum canamus: *Utamur ergo parcius Verbis, cibis et potibus, Somno, jocis et arctius perstemus in custodia. Vitemus autem noxia, Quae subruunt mentes vagas, Nullumq. demus callidi Hostis locum tyrannidi;* b) *Annuntiantes populo*

*scelera Isa. 58.* conciones catecheticas de 5. Sacramenti Pœnitentiæ conditionibus ac de fructibus dignæ sac. Communionis susceptionis diebus quadragesimæ dominicis et festis antemeridianas, pro adultioribus, pomeridianas pro junioribus fine præparandi cunctos ad Tribunal Pœnitentiæ et ad mensam cœlestem, sedulo instituant, atq. de progressu fidelis populi præprimis juventutis in elementis fidei circa ambo sacramenta prælaudata examen penes schedularum pro confessione distributionem suscipiant, verum et Ipsi opera pro rite Sacramenti Pœnit. administratione vulgata, quo uberioresf ructus pænitentibus concilietis, volvatis indefesse.

II. Armetis brachium Vestrum *clypeo orationis*.. Non sufficit *plantare* et *rigare*, sed currandum, ut *Deus incrementum det.* Populus Israeliticus tunc nonnisi hostem fugabat, quoadusq. Moses fervidas ad cœlum fundebat preces. *Orate* ergo Charissimi Duces populi! *sine intermissione* pro Vestra et suorum salute. Psallite ex intimis Nobiscum: *Laxa malum, quod fecimus; Auge bonum quod poscimus, Placere quo tandem Tibi Possimus hic et perpetim.* Offerte insuper placabiles hostias qua Intercessores populi. Devotionem a meridie passionalem solenniter celebrate, nec non conciones de passione Xti ob excitandos compassionis, contritionis, patientiæ, gratitudinis, sacrificationis.. sensus, quæ magno cum fidelium detrimento in parochiis nonnulis negligi deferuntur, cum unctione dicite; preciunculas ante et post Confessionem, Communionemq. cum populo recitate aut recitari facite, et si tempus suffecerit, exhortationes ante, ac post administrationem horum Sacramentorum fovete. Zelo salvandi suos ducti imitemini s. Monicam assidue orantem et lachrymantem pro filii deviantis conversione, ac effectum similem consecuti exultantes ad festa Resurrectionis D. N. I. X. et spiritualis Nostræ ac concreditorum canatis: *Haec dies, quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea.*

**Antiquiora e Notificatione II. 1837. N. 394. de vitiis ebrietatis, disolutae vitae, ac inobedientiae, victitationis separatae junioris Cleri etc. etc. renovantur et inculcantur.**

„Cum dolore animi Nostri experimur, inter juniorem quoque Clerum frequentia esse graviora vitia, quæ dum omnem dehonestant hominem, summo sunt pro statu clericali opprobrio, et grave scandalum pro fidelibus populis pariunt.

Non pauci sunt, qui crapulæ indulgent, ac turpi consuetudine contracta menti suæ vigorem et corporis sanitatem extenuant, ad officia sua redduntur inhabiles, ac omnibus despectui fiunt.

Alii dissolutis moribus, sanctissima legis divinæ statuta violare, nihili sibi ducunt, sibique ipsis relicti in stationibus parochialibus, eo liberius sibi omnia licere autumant.

Non pauci sunt denique, qui posthabita Parochorum et Decanorum suorum auctoritate, minime eos tanquam suos Superiores venerantur, nec eorum dispositionibus parere volunt.

Vocati ad ministerium pastoralis Officii, ne ipsi coram stricto Dei Judice responsabiles reddamur, ordinamus sequentia:

1. Præmonemus universos, quod nemini administrationem alicujus vacantis Ecclesiæ, aut exposituram Ecclesiæ filialis concredituri sumus, nisi prævie non tantum de idoneitate, sed quoque de hujus indole et virtute convicti fuerimus.

2. Ut quispiam ad concursale examen pro curato beneficio etiam post tres a sua ordinatione annos admittatur, debebit prævie saltim integro mense ante terminum pro concedenda sibi facultate supplicare, talemque nisi ille obtenturus erit, de quo Consistorio Fpiscopali manifestum fuerit, quod ebrietatis vitio se dare non soleat, de flagitiis liberioris vitæ suspectus non sit, atque vocationis suæ et obligationum alimplendarum amans et studiosus, suis superioribus *obedientia* omnibusque Officiis se commendaverit.

3. Statutis legum politicarum quoque innixi stricte ordinamus, ut Cooperatores cum suis Parochis communem habeant mensam, sub eodem cum eis tecto, ubi id fieri potest, habitent, ab illorum dispositionibus pendeant, nec ex sua habitatione, nisi cum consensu et licentia parochi, etiam pro breviori tempore abesse possunt; pro trium dierum vero spatio, si abesse voluerint, facultatem a Decano exspectare debeant.

4. Quum recollectionum pœnæ, aliaque tentata remedia, sæpius intento emendationis careant effectu, sciant, quod abhinc, ad similem pœnam condemnandos, etiam pro plurium annorum tempore, aut quoque in perpetuum, pro inhabilibus ad obtinenda curata beneficia declaraturi sumus.

Nemo igitur, etiam tribus ab ordinatione sua annis præterlapsis ad concursuale examen venire præsumat, nisi licentiam expressam in tali examine comparendi a Consistorio Nostro obtinuerit."

**Testimonia applicationis sint obsigillata etc. e Notific. III. 1843 N. 517.**

„Occasione insinuationis pro vacante beneficio quopiam candidati non solent tabellam qualificationis præscriptam, in qua præter rubricas consuetas et hæc quoad mores et applicationem Candidati ab officio decanali respectivo complenda adesse debet, apponere; quare tenore praesentium pro futura directione ordinatur, ut candidati reliquis petito, quo se pro beneficio vacante insinuant, adjectis allegatis tabellam qualificationis in charta tymbrata exaratam quoad rubricas morum et applicationis vacuam adjiciant, ac Officio decanali pro complendis hisce rubricis et ulteriori petiti ad Cancellariam Consistorii promotione exhibeant. Testimonia a Parochis pro Cooperatoribus, et pro Parochis a Decanis exhibita absigillata erunt alleganda."

**N. 106 et 220.**

**Memento ad aram**

Pro aabus R. P. Guilhelmi Zachemski, Presbyteri Ord. Cisterciens. in Szczyrzyc, nati 1782. die 4o et Ri Jacobi Pająk Cooperator. in Niedźwiedź. 14. Jan. a. c. demortuorum.

**Josephus Alojsius,**
**Episcopus Tarnoviensis.**

**E Consistorio Episcopali,**
**Tarnoviae, die 31. Jan. 1858.**
**PAULUS PIKULSKI,** Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.